Ad 3. partem D. Th. Aquin.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ

De Sacramentis in Genere ac de tribus primis in Specie: ſcilicet, de Baptiſmo, Confirmatione, Et Euchariſtia.

Publico certamini

A

V. F. CHRYSOSTOMO GERMANN.

Ord. S. Pauli P. Erem. S. Th. Stud.

IN

Ædibus D. STANISLAO Cracouiæ in Rupella Sacris.

Anno à Virginis partu M. DC. L. VIII.

Menſe Maio. Die, 15. Hora prima pomeridiana.

EXPOSITÆ. w.w.

Præſidente R. P. F. MATTHIA BŁESZYNSKI eiusdem Ord. Prouin. Pol. Definitore ac S. Th. Ordinario Profeſſore.

In Officina Viduæ & Heredum Franciſci Ceſari, S. M. Typ.

Vt Campi ductores & exercituum principes aduersus hostes visibiles dimicare volentes, disponunt tentoria, & quædam specialia deputant loca, in quibus pro resumendis viribus, pro supplendis necessitatibus, seu medendi causa accedere valeant bellatores. Sic Spiritualium militum inuictissimus REX CHRISTVS, certantibus in hoc Spirituali & inuisibili stadio militantis Ecclesiæ, Spiritualia quædam ordinauit munita præsidia, ad quæ pugnantes confugiant; vt in illis resumptis viribus, vel fortes vulneribus, iterum in campum redeant acriùs bellaturi. *Lauren. Iustin. de discipl. & perfect. Monast. C. 19.*

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ

I. AD Rationem Sacramenti tam Euangelicis quã Mosaicis immo & legis Naturæ Sacramentis comũnem essentialiter pertinet, vt sit Rei Sacræ seu Sanctitatis signum, eiusque non vmbraticæ seu legalis ac imperfectæ; sed Sanctitatis veræ, Physicæ, Spiritualis, simpliciterquè dictæ. Ad prædictam tamen Rationem videtur non pertinere, vt sit signum practicum sanctitatis perfectè, spiritualiterquè sanctificantis; sed sufficit si sit signum operatiuum sanctitatis legalis ac corporalis.

II. AD eandem Rationem Sacramenti pertinet, vt sit signũ sensibile, infallibile, non solumq; terminatiuè, verũ & subiectiuè sacrũ, ac insuper suum signatũ sacramentale ex Institutione ac beneplacito Diuino, non autem naturaliter significans. Vnde est quòd Sacramentum in Genere nihil aliud sit definitiuè loquendo, nisi Rei sacræ homines perfectè sanctificantis sensibile & ex Dei Institutione signũ aliquam homini in sui vsu conferens sanctitatem.

III. SAcramentum in quantum est Rei Sacræ signum, vniuocè competere natum est tam antiquis quàm nouæ legis Sacramentis; in quantũ verò dicitur estq; causa sanctitatis, ex parte Analogicè. Legis gratiæ Sacramenta, esto differãt ab antiquis Promulgatore, Materiâ, Ritu, ac Numero; potissimum tamen ab ijs diuersificantur efficaciâ, actiuitate, causatiuitate.

IV. IN Lege Veteri Sacramenta in Reb⁹ tantũ non autem etiam inverbis fuêre iustituta; secus in Lege noua, in qua Sacramẽta necessariò debent constare ex Reb' & verbis

ſaltem æquiualenter. Neque ſola verba, neq; ſolæ Res Sacramentales, ſed totum Sacramentum dicitur eſtque adæquatum ſubiectum Sacramentalitatis: quæ quidem Sacramentalitas eſt in reb⁹ ac verbis diuiſibilis Entitatiuè, formatiuè verò ac terminatiuè omnino indiuiſibilis.

V. NOuæ Legis Sarramenta in vſu ſeu Actione tranſeunte conſiſtentia includunt Res, & Verba Intrinſecè, ſeu tanquã partes componentes Intrinſecè (quod & de Diuiniſsimo Euchariſtiæ Sacramento quod eſt tale extra vſum ſentiendum non negauerimus) quarum partium vnio & indiſtãtia non requiritur Phyſica ſed ſufficit Moralis.

VI. SAcramenta legis gratiæ in vſu conſiſtentia tam Res quàm verba pro recto important, Sacramentalitatẽ autem ſeu ſignificationem Sacramentalem in obliquo. Euchariſtiæ verò Sacramentum pro recto ſolum corpus ſanguinemque CHRISTI inuoluit, ſpecies autem Euchariſticas cum verbis conſecratorijs in obliquo.

VII. REs & Verba non ſunt à CHRISTO pro omnibus nouæ Legis Sacramentis in vltima ſpecie determinata, ſed duntaxat in ſpecie vel in genere magis minuſue remoto. Quæ quidem Res & verba nouæ Legis Sacramentorum potuerant alia á CHRISTO inſtitui præter hæc quæ ſunt de facto inſtituta; conuenienter tamen ſunt ab eodem ita, atque ſunt, determinata.

VIII. MVtatio formalis ac ſubſtantialis materiæ aut formæ Sacramentalis ſemper irritum inualidumq; reddit Sacramentum; ſecus Materialis ac Accidentalis.

IX. SVb peccato graui non licet extra neceſsitatem vti in Sacramento Materiâ aut formâ dubia vel probabili dum adeſt certa. In defectu tamen certæ & probabilis licitum eſſet vti materiâ dubiâ in graui neceſsitate.

In ſi-

X. IN ſtatu innocentiæ Adamo non peccante vi præſentis decreti nullum fuiſſet Sacramentum, ſi CHRISTVS vi ſimilis decreti non veniſſet. Ante legem ſcriptam fuit aliquod ſaltem Sacramentum. In Lege autem Scripta plura fuêre Sacramenta, non tamen ex opere operato cauſatiua gratiæ.

XI. OMnia Sacramenta poſſunt cauſare primam gratiam & omnia ſecundam; licet non omnia ſint primariò & per ſe inſtituta ad primam, nec omnia ad ſecundam, ſed quædam ad hanc, quædam ad illam.

XII. QVodlibet Sacramentum cauſat gratiam Habitualem ſub ſpeciali formalitate; cui etiam gratiæ Habituali additur ſpecialis titulus & Ius quoddam ad auxilia Dei actualia in ordine ad actus ad quos Sacramentum ſpecialiter dirigitur; hæc tamen auxilia nec ſemper efficacia, nec ſemper tantùm ſufficentia conceduntur, ſed modo hæc, modò illa pro miſeratione miſerantis Dei.

XIII. AD collationem primæ gratiæ Sacramentalis in adulto recipiente Sacramentum requiritur aliqua actualis diſpoſitio. Sacramenta ſolo numero diuerſa, æqualem æqualiter diſpoſitis conferunt gratiam.

XIV. SAcramenta cauſant gratiam Habitualem moraliter, immo & Phyſicè dum actu exiſtunt; non tamen per Creationem ſed per obedientialem de potentia ſubiecti eductionem.

XV. SAcramenta cauſant gratiam Habitualem in tempore determinato. Eandem tamen ab ijsdem cauſari in Inſtanti terminatiuo Sacramenti eſt admodum probabile, Sacramenta dum non exiſtunt, Phyſicè gratiam cauſare nequeunt.

XVI. CHaracter Sacramentalis (qui nihil eſt aliud niſi quædam Qualitas Spiritualis indelebilis ſignans ac deputans formaliter homines ad recipienda & conferenda ea quæ ſunt Diuini cultus) à tribus imprimitur Sacramentis; ineſtq; ipſi Entitati animæ, non verò eiusdem potentijs.

XVII. CAuſa miniſtrans nouæ legis Sacramenta de facto eſt ſolus homo; non quilibet tamen cuiuslibet Sacramenti. Cum diſpenſatione Dei poſſet eſſe tum Anima, tum Angelus, etiam malus.

XVIII. VAlida Sacramentorum adminiſtratio Fidem & Gratiam in Miniſtro non requirit: vtramquè tamen requirit licitum eius miniſterium in miniſtro officij, eſto non in miniſtro neceſsitatis.

XIX. AD cuiuslibet Sacramenti valorem neceſsariò & Eſſentialiter requiritur Intentio Miniſtri volentis id facere quod vera facit Eccleſia, vel quod CHRISTVS inſtituit. Quæ porro Intentio ſi non eſt Actualis, ſaltem ſit virtualis; Habitualis namque eſt prorſus ad Sacramentum perficiendum inſufficiens.

XX. BAptiſmus eſt ablutio corporis exterior, facta ſub præſcripta à CHRISTO verborum forma. Alius eſt (latè accepto nomine baptiſmi) flamminis, Alius ſanguinis, Alius demum fluminis; quem poſtremum dicimus eſſe vnum ſpecie atoma. Materia eius Remota eſt aqua Naturalis ſeu Elementaris ad abluendum idonea: proxima, ipſa ablutio. Semel ritè ac validè collatus, nec licitè nec validè iterari poteſt; ſecus dubius.

XXI. MIniſter Baptiſmi ex officio primarius ſeu miniſter ſolennitatis primarius, eſt Epiſcopus Romanus reſpectu orbis totius; vel Diœceſanus reſpectu ſuæ Diœceſis; ſecundarius eſt Sacerdos: Miniſter verò neceſsi-

tatis est quilibet homo sciens & potens formam & ..
riam humano modo alteri applicare. Plures vnum Bapti-
zantes illicitè quidem validè tamen eum baptizant, posito
quod per modum causarum totalium ad id incurrant, secus
si per modum causarum partialium.

XXII. BAptismus non solum est adulto necessarius ad salutem necessitate medij, verùm & necessitate præcepti Diuini. Porro ad valorem illius esto sufficiat in adulto Intentio seu voluntas recipiendi baptismum; ad fructum tamen illius in eodem adulto requiritur actus fidei & spei: imò & actus supernaturalis Pœnitentiæ si & in quantū talis adultus nouit se esse affectū peccato mortali personali.

XXIII. Effectus Baptismi est Remissio totius culpæ tam originalis quàm actualis, ac pænæ, Infusio Gratiæ ac donorum supernaturalium, Character, ac subiectio Ecclesiæ. Baptismus sublata fictione eosdem confert effectus quos sine fictione contulisset idquè ex opere operato ac immediatè. Martyrium eosdem gignit effectus & quidem ex opere operato quos & Baptismus excepto Charactere.

XXIV. COnfirmatio est verum nouæ legis Sacramentum. Remota eius Materia est Chrysma ab Episcopo benedictum, confectum ex oleo oliuarum nitorem conscientiæ, & ex balsamo odorem bonæ famæ significante. Proxima verò eius Materia est, vnctio facta in formam Crucis in fronte confirmandi pollice chrysmate imbuto; forma demum hæc: Signo Te signo Crucis & confirmo Te chrysmate salutis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Ordinarius eius minister est solus Episcopus; Extraordinarius potest esse quilibet Sacerdos ex commissione Pontificia.

XXV. COrpus & Sanguis CHRISTI DOMINI, speciesquè Eucharisticæ ac forma consecrationis

æquiualen-

...ualenter accepta, constituunt Eucharistiam Intrinsecè Essentialiter; secus formaliter accepta. Vsus autem seu sumptio Eucharistiæ non meretur nomen partis in prædicto Sacramento. Eucharistia sub speciebus Panis & Vini non solum est specie atoma vnum Sacramentum, verùm & vnum Numero quoad principale contentum.

XXVI. TRanssubstantiatio non est actio Accidentalis, nec Relatio succesionis inter duas substantias, aut Vnio CHRISTI cum speciebus; nec fit sola adductione aut introductione CHRISTI sub species, sed est conuersio, quâ hoc, fit aliud productiuè vel reproductiuè.

XXVII. MAteria Eucharistiæ est Panis siue Azymus siue Fermentatus & Vinum, idq; indispensabiliter; ita nimirum vt Sacerdos celebrans ad vtramq; speciem præcepto Diuino humanitus indispensabili obligetur.

XXVIII AQua modicè Vino Eucharisticè consecrabili admixta potest immediatè in CHRISTI Sanguiuem conuerti. Corpus & Sanguis CHRISTI DOMINI est verè & per Essentiam præsens in Sanctissima Eucharistia. Quæ præsentia Corporis CHRISTI DOMINI nihil est aliud nisi realis coexistentia illius cum speciebus Eucharisticis.

XXIX. CHRISTVS DOMINVS est totus in Diuinissimo Eucharistiæ Sacramento tam quod Substãtiam quàm quoad Accidentia: est item in qualibet parte illius totus, non autem secundum sui partem in parte illius.

XXX. IDem CHRISTVS DOMINVS est actu in qualibet parte sensibili Eucharistici Sacramenti replicatus, non verò (vt aliqui fabulari consueuerunt) in potentia.

A. D. M. D. G.